

creatum possit esse ratio amandi et volendi secundaria et proxima divinæ voluntatis, patet ex incarnatione propter salutem nostram, ex gloria propter merita, ex fidelitate, misericordia, justitia et aliis virtutibus moralibus, in quibus bonitas creata propter seipsam proxime amari debet.

ARTICULUS II.

AN IN DEO DETUR VOLUNTAS LIBERA?

173. *Nota.* Certum est, Deum esse liberum a coactione, et non esse liberum a necessitate seu determinatione naturali ad unum in suis operationibus ad intra; quia hæc, quibus scilicet producuntur Personæ divinæ, Filius et Spiritus sanctus, tam sunt necessariae, quam est ipse Deus. Certum, neque Deum esse liberum in agendo ad extra ad ullum peccatum vel malum; cum constet Deum essentialiter esse impeccabilem. Sola igitur difficultas est de libertate a necessitate, seu de indifferentia activa et electiva circa creaturas et opera bona Deo extrinseca. Inter eos qui hanc Deo perfectionem negant, referuntur a S. THOM. L. 2. cont. Gent. c. 23, n. 9. Philosophi quidam, docentes, Deum producere res ex necessitate naturæ, et quidquid vult, velle necessitate absoluta: a THOM. WALDENSI L. 1. doctrinalis fid. c. 10. recensentur Petrus Abailardus et Joan. Wicleffus, qui docuerint, Deum non posse facere, nisi ea quæ facit; his adduntur a BELLARM. L. 3. de lib. arb. c. 13. Lutherus, qui in Assert. a. 36. dicat veram esse Wicleffi sententiam, quæ habet omnia ex necessitate absoluta evenire; Bucerus, qui in L. de Concord. c. de lib. arb. tradat, Deum necessario agere quidquid agit, nec posse aliter facere; Calvinus, qui L. 1. Inst. c. 16. §. 3. doceat, Deum agere quidquid potest agere, nec posse cessare ab eo quod agit, aut aliud facere posse; et L. 2. c. 8. §. 5. impossibile appellet, quod neque fuit unquam, et ne imposterum sit, Dei ordinatione et decreto impeditur: a STEPH. DECHAMPS L. 3. de hæres. Jans. Disp. 2. c. 13. Jansenius, qui L. 6. de gr. Christi c. 11. contendat, Deum omni spoliandum libertate, si ad hujus essentiam pertineat potestas agendi vel non agendi. Quorum omnium doctrina tum ab iis, qui eam retulerunt, tum ab aliis Theologis cumuni suffragio erroris damnatur.

174. *Dico.* In Deo datur circa opera ad extra non mala, voluntas libera libertate indifferentiæ.

Prob. I. EX SCRIPTURA, quæ 1º. dicit, agere Deum ex consilio et propria electione; ad Ephes. 1. 11. Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ; et v. 4. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti. 1. ad Cor. 1. 27. Quæ stulta sunt, elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma elegit Deus etc. 2. ad Thess. 2. 13. Nos autem debemus gratias agere Deo semper, quod elegerit vos primitias in salutem. Jam vero consilium et electio locum non habet circa bonum, quod absolute necessarium sit eligere, sed quod possibile est eligere vel non eligere.

2º. Objectum a Deo volitum non aliter determinat, nisi per volitionem divinam; Psal. 134. 6. Omnia quæcumque voluit, fecit. Ad Rom. 9. 18. Cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat. 1. ad Cor. 12. 11. Hæc autem

operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Joan. 3. 21. Sicut Pater suscitavit mortuos et vivificavit: sic et Filius, quos vult, vivificavit. Et 3. 8. Spiritus, ubi vult, spirat. Sed ubi objectum volitum determinatur tantum per volitionem, indicatur indifferentia volendi et non volendi, ut patet ex eodem modo loquendi relato ad homines, cujus exemplum habentur Eccli. 15. 17. Ad quod volueris, porrige manum tuam; 3. Reg. 3. Postula quod vis, ut dem tibi; Joan. 15. 7. Quodcumque volueris, pete; 1. ad Cor. 7. 36. Quod vult, faciat, cui vult, nubat. Ex quibus libertatem in homine demonstramus vel intelligimus.

3º. Eadem plura enuntiat de Deo sub conditione, si velit; Eccli. 39. 8. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum. Dan. 3. 17. Deus noster potest nos de manibus tuis, o Rex! liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex! quia deos tuos non colimus. Sap. 12. 18. Subest enim tibi, cum volueris, posse. Jacob. 4. 15. monemur, dum dicunt aliqui hodie aut crastino die ibimus, mercabimur etc. Pro eo, ut dicatis: si Dominus voluerit; et si vixerimus, faciemus hoc. Sed illa conditio adjecta significat potestatis indifferentiam, ut velit et non velit; tum quia ex simili enuntiatione de homine Eccli. 15. 16. Si volueris mandata servare, conservabunt te, probatur ejus libertas circa mandatorum observationem: tum quia illæ propositiones: Deus, si voluerit, mentietur; Filius divinus, si voluerit, faciet quod non viderit Patrem facientem, sunt blasphemæ non alio ex capite, quam quod illa conditio denotet indifferentem possibilitatem volendi et non volendi mendacium vel opus a Patre non profectum. Unde Catholico non conveniet respondere: Deum quidem alia posse, si velit, sed non posse velle; præsertim quia hæc evasio a Wicleffo olim jam excogitata, sed a TH. WALDENSI et BELLARM. locis supra citat. ut erronea fuit rejecta, quemadmodum et similis ludificatio Jansenii circa libertatem hominis potentis dissimulare gratiæ, si velit, reprobatum ab omnibus.

Prob. II. EX TRADITIONE: JUSTIN. QUÆST. Christian. ad Gent. q. 3. n. 2. Si Deus, inquit, facit, quia est; coacte facit, quæ facit: sine facit, quia vult; sponte facit: sponte enim faciens facit quantum vult, et qualia vult, et quando vult. Idem, vel Auctor QQ. ad Orthod. q. 114. asserit, actionis divinæ potentiam non naturali necessitate, sed proprio consilio constare. HILAR. L. de Synod. n. 44. sic de Deo scribit: Extra corporalis naturæ necessitatem liber manens, quod vult, et cum vult, et ubi vult, præstat ex sese. NYSSEN. L. de fat.: Omnipotens neque naturæ necessitate, neque legis præscripto operatur, sed sunt illi omnia contingentia etiam necessaria. AMBROS. L. 2. de fide c. 6. n. 48.: Hæc operatur unus et idem Spiritus sanctus, dividens singulis prout vult, id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. AUG. L. 22. de Civ. c. 30. n. 3. Deus ipse nunquid quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Et in Enchir. c. 95.: Tunc in clarissima sapientiæ luce videbitur, quod nunc piõrum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, et non velit, nihil autem velit, quod non possit. EPIPHAN. Hæres. 70. n. 7.: Deus potens est, ut, quod vult, faciat: verum facit illa, quæ divinitati congruunt. Et hæc 23. n. 5.: Deus Pater hominem et cætera omnia pro sua voluntate procreavit. DAMASC. L. de duab. Christi volunt. n. 28.: Divina natura voluntate prædita arbitrioque est libero,

BERN. L. de gr. et lib. arb. c. 4. n. 9. : *Libertas a necessitate æque et indifferenter Deo universæque tam malæ quam bonæ rationali convenit creaturæ.* His adde S. BASIL. hom. 1. in Hexam. n. 7. HIER. in Comm. ad ep. ad Philem. c. 1. v. 14. et alios apud Petav. L. 5. de Deo c. 4.

Conf. 1^o. Quamvis *Abailardus* non inficiaretur in homine liberum arbitrium, sed illud plane etiam sine adjuvante gratia bene velle et agere posse assereret, tamen inter errores, quos S. Bernard. ep. 188. detulit ad Episc. et Cardinales Rom. Curia, tanquam ab eo Introductione ad Theologiam propositos, recte refertur ille : *Quod limites præscriberet omnipotentia divina, asserendo Deum facere plura non posse, quam fecerit, aut aliquando facturum sit; tum quia Abailardus ipse L. 3. Introd., ubi hanc doctrinam statuit, fatetur, opinionem hanc paucos aut nullos habere assectatores, et plurimum dictis Sanctorum, et aliquantulum a ratione dissentire videri : tum quia idem, Apologia sive Confessione fidei, ubi errores sibi objectos vel inficiando eos a se scriptos, vel eosdem revocando diluit, eundem revocat his verbis : Deum ea solummodo posse facere credo quæ ipsum facere convenit : et quod multa facere potest, quæ nunquam faciet.*

Conf. 2^o. *Wicleffus* errorem de absoluta rerum omnium evenientium necessitate fundat in his : *Deus nihil potest producere, nisi quod producit; Deus mundum amplificare vel imminuere non potest, nec animas nisi ad certum et fixum numerum creare; ut patet ex ejus Trialogo L. 4. c. 11. et 13., et ex Waldensi L. cit. c. 21. Lutherus Articulum 36., quo liberum arbitrium hominis rem vocat de solo titulo, in hujus assertionem similiter fundat in necessitate omnium, quæ a Deo proveniat. Ergo videntur et Concilium Constantiense et LEO X. illud fundamentum feriisse, dum damnarunt illos Articulos. De Calvino vide Nic. Romæum Spectacul. 2., De Jansenio P. De-champs. l. c.*

Prob. III. Ex RATIONE 1^o. Quodcumque gaudet intelligentia et ratione, gaudet etiam libertate seu libera agendi voluntate; Deus ratione præditus est et intelligentia, imo summa ipsa ratio est et sapientia; ergo. 2^o. Esse liberum, quia est esse sui juris et dominum suarum operationum, est singularis perfectio, ut patet in angelo et homine, qui ob eandem præferuntur creaturis cæteris; et est perfectio simpliciter simplex; ergo Deo tribuenda est. 3^o. Si Deus non foret liber *ad extra*; ergo ad agendum extra se necessitaretur vel ab alio, vel a se ipso: non 1^{um}. quia Deus est independens et superior quolibet alio: non 2^{um}. quia ipse sibi sufficit, neque ullo extra se ente indiget, adeoque nec ulla Dei perfectio id exigere potest: præsertim cum Deus æque necessario profunderet ex se creaturas, ac producit Filium et Spiritum sanctum; et cum ageret toto naturæ impetu et conatu, pro infinita et æterna sua virtute et potentia, effectus quoque infinitos ac æternos proferret; ergo.

Conf. 1^o. In homine datur libertas indifferentiæ tum exercitii tum specificationis; ergo, cum agere et non agere conveniat Deo, qui ex non producente mundum ab æterno, factus est producentis mundum in tempore; et præterea jam hoc jam illud bonum, v. g. nunc misericordiam, nunc justitiam vel in eodem vel in diversis hominibus exerceat; hæc potestas libera est participatio naturæ seu perfectionis divina; adeoque ista non minus, quam alia Deo est tribuenda.

Conf. 2^o. Si Deus non ageret ad extra libere, sed ex necessitate; ergo

sequeretur, in eo nullam esse liberalitatem, quæ a libero animo nomen sortita est; nec Deum orandum nec timendum esse; cum frustra oretur ut res bene fiat, et frustra timeatur ne res male eveniat, ubi res omnis ac eventus proficiscitur ab ente per se semper atque tam antecedenter quam consequenter determinato; nullum in hoc universo effectum esse contingentem; quia ubi prima causa et ex necessitate, et quantum potest, agit, nulla causa secunda ei potest resistere; adeoque causa secunda tanta necessitate movetur, quanta movet prima, atque ita unum ex alio necessitate absoluta sequitur.

175. *Obj. I.* Ex libertate indifferentiæ sequitur in Deo imperfectio; quia sicut essentia in se indifferens, ut existat vel non existat, involvit imperfectionem, ita et essentia existens, sed ex modo tendendi indifferens ut agat vel non agat, etiam includit imperfectionem, cum utraque sit æqualiter indifferens ad esse et nihilum; ergo. *Conf. 1^o.* Libertas, quæ est in Deo ad intra agente, est perfectissima: sed hæc est libertas tantum a coactione, non a necessitate; ergo sola libertas a coactione est perfectissima, libertas autem a necessitate minus perfecta, quæ proinde Deo tribui non potest. 2^o. Libertas contrarietatis ad bonum et malum morale repugnat in Deo, quia contrarietur ejus sanctitati; ergo cum libertas indifferentiæ etiam contrarietur ejus immutabilitati, in Deo repugnabit.

R. N. Ant. et parit. *Disparitas* est, quia in essentia indifferente ad existendum, esse et non esse afficit ipsam essentiam, et est intrinsecum: in existente vero essentia indifferente ad agendum vel non agendum, esse et non esse afficit effectum, et spectat tantum ad extrinsecum; unde nulla imperfectio in essentiam redundat, quemadmodum hoc ex causis etiam creatis liberis, præ necessaria præstantioribus, ab omnibus agnoscitur.

Ad Conf. 1^{am}. *R. D. M.* Libertas, quæ est in Deo ad intra agente, est perfectissima in sua agendi linea C. in omni agendi linea N. Omnis actio divina est perfectissima, quia est perfectionis infinitæ; pro ratione tamen termini actio Dei est varia: cum in verum representative, in bonum affective et prosecutive, in malum aversative vel permissive tendat. Sicut vero ex eo, quod tendentia Dei prosecutiva et affectiva in bonum sit perfectissima, male colligeretur eandem tendentiam debere ferri in malum, aut, siquidem diversa sit, esse minus perfectam: sic et male infert objectio contra libertatem indifferentiæ. Præterea ratio cur in agente Deo ad intra libertas sit tantum a coactione, inde petitur, quod terminus productionis hic sit identificatus, necessarius et infinitæ bonitatis, adeoque hæc libertas termino sit proportionata et unice possibilis.

Ad Conf. 2^{am}. *R. N. supp. Cons.* Nam immutabilitas stat in repugnantia, ne quid Deo accedat, quod ante non inerat, aut ne in locum ejus quod inerat, substituatur aliud quod non inerat; adeoque consequitur jam statum absolutum et determinationem: e contra libertas indifferentiæ, cum dicatur potentia agendi ex propria electione ac vi flectendi se ad nutum, præcedit statum absolutum et determinationem; unde secundum idem sibi non opponuntur, atque hinc nec contrariantur.

Inst. 1. Deus nunquam fuit indifferens ad volendum v. g. producere mundum; tum quia non potest assignari ulla pars etiam virtualis in æternitate, pro qua Deus potuerit non habere volitionem producendi mundum;

tum quia volitionem hanc habet ab et pro tota aeternitate; ergo non fuit liber.

R. D. A. Nunquam fuit indifferentia suspensionis, et quasi indiguerit aliquo tempore ad deliberandum C. indifferentia electionis, quae excludit determinationem aliunde proveniente, et includit potentiam ad oppositam partem propriae electionis ac determinationis N.

Ad prob. 1^{am}. R. Quamvis Deus volitionem hujusmodi non potuerit non habere pro ulla parte virtuali aeternitatis, correspondente scilicet instanti temporis sive veri sive imaginarii, seorsim sumpta ab aliis; cum non possit ulla assignari, antequam non fuerit alia, et hinc antequam non extiterit haec volitio: tamen potuit eam non habere pro tota aeternitate, seu pro omnibus aeternitatis partibus virtualibus collective sumptis; comparatione cujus ante quamlibet partem determinatam divina voluntas fuit indifferens et simul duratione cum hac indifferentia concepit actualem volitionem. Nam quod in creata volitione est primum instans temporis, in divina est aeternitatis: non quatenus coexistit instantibus temporis veri vel imaginarii, sed quatenus ante quodlibet determinatum praetelligitur aeternitas; et in eodem ordine rationis praecedat libertas Dei quasi in actu primo, deinde vero libera volitio decernitur, quam necessario consequitur immutabilis constantia.

Ad prob. 2^{am}. D. ill. Ergo ab et pro tota aeternitate volitionem hanc non potest non habere impotentia consequente liberam determinationem C. impotentia antecedente N.

Inst. 2. Deus saltem ob decretum immutabile producendi res eas, quae jam in tempore sunt aut erunt, ab aeterno habitum, non potest non producere eas res; ergo de facto non est liber, aut saltem Dei libertas est minor libertate creata.

R. 1^o. D. A. similiter: res eas non potest non producere impotentia consequente C. antecedente N. R. 2^o. N. 1^{am}. p. Cons. Quia sicut actuale exercitium libertatis in creaturis adhuc libera actio dicitur, sic et volitio divina etiam libera est: quatenus in tempore adhuc respicit tale objectum, quod potuisset non respicere nec amplecti, si noluisse ab aeterno res eas creare.

Ad 2^{am}. p. Cons. R. N. Quamvis enim voluntas creata non solum sit indifferens, ut semel eligat vel non eligat, sed etiam ut priorem volitionem retractet vel ab ea desistat, quod postremum Deo ob immutabilitatem non competit: tamen libertas creata ideo non est major; tum quia variabilitas haec non est perfectio libertatis, sed potius imperfectio, cum sit infirmitas et inconstantia proveniens vel ex imperfectioe cognitionis, vel ex mutatione passionum, vel ex naturali inclinatione percurrendi plura bona, et transcundi ad alia objecta, quae simul omnia attingi nequeunt: tum quia Deus unico suo actu simul et semel omnia decernit, quae voluntas creata per actus suos diversos et variatos decernit; imo ob infinitatem objectorum possibilem nequidem decernere potest.

Inst. 3. Si Deus potuisset habere decretum non producendi mundum, caruisset perfectione infinita; quia caruisset decreto producendi mundum, quod de facto habet, et est infinitae perfectionis: sed sequela est absurda et impossibilis, cum alias Deus non foret omnipotens; ergo.

R. prob. D. Caruisset decreto quoad entitatem actus, secundum quam etiam est infinitae perfectionis N. quoad terminationem actus aut terminum,

secundum quem non est perfectionis infinitae C. Duo hic falsa videntur in argumento supponi: 1^{um}. decreta Dei eorumque, pro varietate terminorum, tendentias varias esse entitative distinctas; cum tamen non nisi sit unicus voluntatis actus vel potius unica Dei entitas simplicissima tendens in diversos terminos, v. g. mundum nostrum producendum, et mundum alium non producendum: unde constat eandem entitatem decreti mansuram, si Deus decrevisset mundum non producere, sicut nunc est entitas decreti, quae nostrum mundum decrevit producere. 2^{um}. omissionem decreti de mundo producendo, aut potius decretum non producendi mundum non esse perfectionis infinitae; cum tamen ratio perfectionis infinitae habeatur utrobique, et sit volitio divina seu Deus ipse volens producere, sive omittens aut nolens producere; ac Deus praeterea per ejusmodi omissionem possit ostendere infinitam suam sufficientiam, dominium, libertatem, et in particularibus omittendis ordinatam sine aliquo superfluo universi dispositionem, sicut per productionem rerum attributa manifestat: unde sequitur, Deum non cariturum perfectione infinita, si careret decreto mundi producendi, sicut nunc perfectione illa non caret, quamvis careat decreto alterum mundum producendi.

176. Obj. II. Natura quo est perfectior, eo majorem habet inclinationem se ad extra communicandi; adeoque natura perfectissima, qualis est divina, habet maximam inclinationem se communicandi: sed ubi est maxima inclinatio ad se communicandum, non potest esse libertas indifferentiae; tum quia alias Deus posset velle quid naturali suae inclinationi contrarium: tum quia haec inclinatio posset frustrari, et aeternum carere eo bono ad quod inclinatur: quae plane absurda sunt; ergo.

R. D. M. Natura quo est perfectior, eo habet majorem, et natura perfectissima habet maximam inclinationem ad extra se communicandi, intelligendo per id aptitudinem et potentiam C. intelligendo exigentiam et necessitatem subd. absolutam N. hypotheticam et ex supposito quod natura rationalis velit C. Posse aliquid ad extra communicare est perfectio naturae communicantis, eaque tanto major, quanto melius id est, quod communicatur; quia natura communicans hujusmodi bonum continere debet in eo genere causae, in quo communicare potest: actu communicare supponit quidem hanc perfectionem, ex eaque provenit, ac praeterea bonum est illi, cui quid communicatur; non tamen in se perfectionem formalem semper dicit: ut patet in patre per generationem se communicante filio creato. Praeter hanc vero aptitudinem et actualem communicationem sui ad extra, potest adhuc considerari quaedam propensio naturalis, quae tribuitur bono ad sui diffusionem seu communicationem ad extra: atque haec in creatis quidem provenit ex limitatione naturae ac indigentia; in divinis vero ex perfectionis abundantia et infinita quadam excellentia: sed sicut haec in creatis quibusdam, scilicet inanimatis, est absoluta et necessaria, in aliis nempe angelis et hominibus subordinata libertati et quasi conditionata; sic propensio Dei ad extra se communicandi ad alterutram referri potest. Docet autem S. ТЮМ. 1. q. 49. a. 3. in 0. Cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis; cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium absolute; et in resp. ad 3.: Dicendum quod